



The Holy See

PIUS PP. XEPISTOLA **GRATIAS PRIMUM***VENERABILI FRATRI PAULO, EPISCOPO BRUNENSI,
DE NUPER HABITA SYNODO DIOECESANA Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Gratias
primum tibi agimus ob fausta vota quae proximis litteris significasti te facere, Nostra causa; tibique pariter omnia bene
evenire, optamus. Tunc gratulamur, quod Synodus dioecesanam feliciter habueris, quemadmodum acta Nobis testantur,
quae misisti. Eamdem isti dioecesi fructuosam fore confidimus; recteque tu in hanc rem statuisti, ut alumni sacrorum e
Seminario maiori Synodi praescriptiones mature addiscant. Quod autem addidisti de magno populi ad sacram Synaxim
concursu, qui factus est mense Novembri in gratiam Nostri, rem tu narrasti Nobis gratissimum; quamque, non exigua ex
parte, diligentiae tuae debere videmus. Auspicem itaque caelestium, quae precamur, munerum, tibi, Venerabilis Frater,
et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.*Datum Romae apud S. Petrum, die XXIV*
ianuarii MCMX, Pontificatus Nostri anno septimo. PIUS PP.

X

*AAS, vol. II (1910), n. 2, p. 53.

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana